



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An post publicationem attestatorum iisdem testes, vel alij super iisdem articulis, vel contrariis produci, & recipi possint, vel non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

& successor in iudicio idem quasi Iudex cum priore censetur) & omnibus profunt, quibus prodesse potest res iudicata. Neque tamen receptæ attestaciones inter partes principaliter litigantes ad petitionem tertii intervenientis in iudicio publicari debent, etiamsi illius aliquo modo interfit (ne videatur præjudicium aliquod partibus principaliter litigantibus inferri) quamvis si iuri suo velint partes cedere, publicatio fieri possit, prout colligi potest ex *c. Constitutus* 30. h. 2.

§. II.

An attestaciones receptæ per Arbitrum & publicatæ fidem faciant, ac probent coram Iudice ordinario, vel delegato?

Resp. Probare, & fidem facere coram Arbitris receptas attestaciones, sicuti & alia acta Iudicii instructoria causæ, sive quæ respiciunt factum, & merita causæ etiam coram Iudice ordinario aut delegato, si testes mortui sint, vel si vivant adhuc, in optione partis litigantis est, contra quam testes producti fuerunt, an attestacionibus habitis acquiescere velit, an malit de novo audiri testes, prout deciditur in *c. Presentata* 30. h. 1. Quamvis enim acta coram arbitris stricto iure non debeant valere ut acta judicialia, cum arbitri tales nullam jurisdictionem habeant, quia tamen arbitria ad instar iudiciorum redacta sunt *l. 1. ff. De recept. arbit.* manet etiam ex æquitate sua talibus attestacionibus probatio, præsertim cum mortuis testibus, si eorum attestaciones nihil probarent, perire sæpius posset probandi facultas, & jus alterius periclitari. Hæc tamen in-

telligi non debent de actis ordinatoriis litis sive iudicii, quæ pendent ab instantia iudicii, consequenter hæc expirante, debent illa repeti, nisi partes renuntiare possint, & velint.

§. III.

An post publicationem attestacionum idem testes, vel alii super iisdem articulis, vel contrariis produci, & recipi possint, vel non?

Articuli, qui parti proponenti probandi regulariter sunt, alii dicuntur antiqui, alii dicuntur novi, alii dependentes ab antiquis; antiqui dicuntur, qui jam ante propositi fuerunt in libello super quibus, si testes legitimè jam producti, & recepti fuerunt, ac attestaciones publicatæ, jam non amplius aut alii admittuntur, ut ex dictis patet. Novi sunt, qui non sunt propositi, & ad causam motam sunt impertinentes, neque juvant intentionem Actoris, aut Rei, qui articuli omnino rejiciuntur à Iudice, neque super illis testes admittuntur ad probandum frustra, quod probatum nihil facit ad causam motam. Dependentes denique articuli ab antiquis sunt, & dicuntur illi, qui propositi ac probati adjuvant causam seu intentionem litigantis; qui facti quidem necessitate sub prioribus continentur, non tamen necessitate probationis, prout habetur in *c. Cum Ioannes* 10. *De fid. instrum.* super quibus articulis nova probatio admittitur, nisi articulus talis virtualiter etiam quoad probationem contineretur in antiquis, ut sic enim antiquus censeatur, & nulla nova illis probatio post publicatas legitimè attestaciones admittetur.

Inter contrarios verò articulos ea est differentia, ut alii dicantur directè contrarii, alii indirectè: directè contrarii dicuntur, qui directè adversantur articulo à producente per testes probato, & super his probatorii testes post legitimè publicatas attestaciones nò admittuntur, ob periculum fraudulentæ alicujus subornationis. Indirectè contrarii dicuntur, qui testium depositioni ad certas circumstantias articulum litigantis restringenti adversantur, & sic indirectè etiam articulo per testes tales probato: super quibus admittuntur testes reprobatorii etiam post publicationem attestacionum, prout sumitur ex *c. Ex tenore. 35. h. t.* Cùm per hanc restitutio illa primùm innotescat. Vide plura de his apud Auctorem Meth. hoc & sequenti §. in quo queritur: Quando, & in quibus casibus etiam post publicatas attestaciones iisdem, vel alii testes super iisdem, vel directè contrariis articulis denuò produci, & recipi possint?

SECTIO VI.

De exceptione contra testes, & eorum reprobatione.

§. I.

Quomodo, & quando excipiendum sit contra testes?

Contra testes possunt triplicis generis exceptiones opponi. Primò contra personas testium, quòd vel omnino, vel ratione causæ ad testimonium dicendum sint inhabiles, ut supra dictum. Secundò, contra examen testium, quòd

non sit legitimè factum, vel ex defectu jurisdictionis ab incompetente Iudice, vel quòd producti, & recepti fuerint testes ante litem contestatam; quòd admitti fuerint parte non citatà; quòd post tertiam productionem recepti fuerint, sine solemnitate legali; quòd recepti fuerint post percepta testificata; quòd recepti fuerint post conclusionem in causa, aut post renuntiationem ultimarum productionis; quòd recepti sint non parati, simul, ac non seorsim & secretè, de quibus omnibus jam actum in Superioribus h. t. Tertio excipi potest contra ipsa testium dicta, & depositiones, quidem varijs modis, prout iterum à dictis patet.

Quando autem excipiendum sit, queratur? Respondetur primò, contra personas testium opponi debent regulariter exceptiones, priusquam eorum attestaciones sunt publicatæ (ne videatur ex odio magis factarum attestacionum reprobari) ita tamen, ut à commentum regula tres casus excipiat *c. Presentium h. t.* Primò scilicet si, excipiens post publicationem attestacionum juret, quòd malitiosè non agat excipiendo. Secundò, si citatus adversarius ad videndum testes contra se productos cum protestatione sibi reservavit facultatem excipiendi contra eorum personas. Tertio, si probaverit (saltem per juramentum proprium) quòd ea, quæ opponere vult contra testes, post publicatas attestaciones primùm didicerit. Quæ tamen omnia intelligi debent de testibus non absolutè & simpliciter inhabilibus, contra quos semper, etiam post publicatas attestaciones excipi potest, sed de testibus lectur-